Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancta Margaretha

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

cum matre iussu imperatoris antonini publi
cus prefectus ad se vocari precepit. Suasit
que matri ut sui et filiorum misereri de
beret. Que ait: Nec blandiciis tuis
potero allici nec terroribus frangi. Secura
enim sum de spiritu sancto quem habeo, quod te
superabo viva et melius interempta. Et con
versa ad filios ait: Videte filii mei
celum et sursum aspicite. Illic quia ibi
deus christus vos expectat. Fideliter pro ipso
pugnate et fideles vos in christi amore
exhibete. Quod prefectus audiens eam alapis ce
di iussit. Cum igitur mater et filii in fide constan
tissimi permanerent, tunc omnes matre
vidente et confortante diversis sunt suppliciis
interempti. Hanc beatam felicitatem vocat
Gregorius plus quam martirem, quia septem
passa in vii filiis et octavo in corpore
proprio. Passa est circa annos domini c.x. De sancta

Margarita dicitur a quadam preciosa gem
ma que margarita vocatur. Que gemma
est candida parva et virtuosa. Sic beata
margarita fuit candida per virgini
tatem, parva per humilitatem, virtuosa
per miraculorum operationem. Virtus autem
huius lapidis dicitur esse contra sanguinis ef
fusionem, contra cordis passionem et ad
spiritus confortationem. Sic beata margareta
habuit virtutem contra effusionem sui san
guinis per constantiam, quia in suo martirio con
stantissima extitit. Contra cordis
passionem id est demonis temptationem
per victoriam, quia ipsum dyabolum vicit.
Ad spiritus confortationem per doctrinam, quia
per suam doctrinam multorum animos conforta
vit et ad fidem christi convertit. Eius legendam
theotimus vir eruditus scripsit. De sancta

Margaretha

Margareta de civitate
antiochie filia fuit theo
dosii gentilium patriarche. Et nutrici
tradita est, et ad ultimam etatem veniens bap
tizatur, et propter hoc exosa patri plurimum habeba
tur. Quadam igitur die dum xv annum
attigisset et cum aliis virginibus oves custo
diret nutricis sue, prefectus olibrius
inde transiens et puellam tam spe
ciosam considerans mox in eius amore ex
arsit et pueros ad eam mittens dixit: Ite
et eam apprehendite ut si libera est eam
in uxorem accipiam, si ancilla eam in con
cubinam habeam. Cum igitur eius conspectui
presentata esset, eam de genere suo et nomine ac
religione requisivit. Illa autem respon
dit se genere nobilem et nomine margare
tam et religione christianam. Cui prefectus:
Duo prima tibi recte conveniunt, quod et no
bilis haberis et margareta pulcher
rima comprobaris. Sed tertium non convenit,
ut puella tam pulchra et nobilis
deum habeat crucifixum. Cum autem mar
gareta eum sponte pro redemptione nostra
assereret crucifixum, sed nunc eum iterum
vivere affirmaret, iratus prefectus
eam in carcerem mitti iussit. Sequenti autem
die eam ad se vocari fecit eique dixit:
Vana puella, miserere pulchritudi
ni tue et deos nostros adora ut bene tibi
sit. Cui illa: Illum adoro quem terra contre
miscit, mare formidat, venti et omnes
creature timent. Cui prefectus: Nisi mihi con
senseris, corpus tuum faciam laniari. Cui
margareta: Christus semetipsum pro me in
mortem tradidit, et ideo pro ipso mori non
dubito. Tunc prefectus iussit eam in
eculeum suspendi et tam crudeliter
laniari quod sanguis de eius corpo
re tamquam de fonte purissimo emanavit.
Flebant autem qui ibi aderant et di
cebant: O margareta, vere dolemus
super te, quia corpus tuum tam crudeliter

lacerari conspiciamus. O qualem amisisti pulchritudinem propter tuam incredulitatem. Iam nunc vel saltem crede ut vivas. Quibus illa. O mali consiliarii recedite et abite. Hec carnis cruciatio est anime salvatio. Dixitque ad prefectum. Impudens canis insaciabilis leo in carne potestatem habes sed animam Christus reservat. Prefectus autem faciem clamide operiebat nec tantam effusionem sanguinis videre poterat. Deinde eam deponi iussit et eam in carcerem recludi iussit. Ubi dum esset oravit dominum ut inimicum qui secum pugnat visibiliter demonstraret. Et ecce draco inmanissimus ibidem apparuit et os super caput eius ponens et linguam sub calcaneum eius porrigens ipsam protinus deglutivit. Sed dum eam absorbere vellet signo crucis se munivit et ideo draco virtute crucis crepuit et virgo illesa exivit. Istud autem quod dicitur de dracone devoratione et ipsius crepatione apocrifum reputatur. Dyabolus autem ut iterum posset eam decipere in speciem hominis se mutavit. Quem videns in orationem se dedit. Et dum surrexisset dyabolus ad eam accessit et manum tenens dixit. Sufficiat tibi quod fecisti. Iam nunc cessa de mea persona. Illa autem eum per capud apprehendit et sub se ad terram proiecit et super cervicem eius dextrum pedem posuit dicens. Sterne superbe demon sub pedibus femine. Demon autem clamabat. O beata margareta superatus sum. Si iuvenis me vicisset non curassem. Ecce a tenera puella superatus sum. Et in hoc plus doleo quia pater et mater tua amici mei fuerunt. Illa vero eum coegit ut diceret cur christianos tam multipliciter temptaret. Qui respondit naturale sibi odium esse contra viros virtuosos. Et quamvis ab eis sepe repellatur. Sed tamen desiderio seducendi infestus existit. Et quod invidet homini de felicitate quam ipse amisit quamvis eam recipere non possit ipsam tamen aliis auferre contendit. Addidit quoque Salomon infinitam demonum multitudinem in quodam vase inclusit. Sed post mortem suam cum de illo vase demones ignem mitterent et homines ibidem magnum thesaurum esse putarent vas confregerunt et demones exeuntes aerem impleverunt. His dictis virgo pedem sublevavit et demon statim evanuit. Secura igitur efficitur quia quem principem vicerat ministrum procul dubio superaret. Sequenti igitur die convenientibus populis iudicio presentatur et sacrificare contempnens exuitur ac corpus facibus ardentibus comburitur ita ut cuncti mirarentur quomodo tam tenera puella tot posset tolerare tormenta. Deinde in vase magno pleno aqua ligari et poni fecit ut ex penarum commutatione cresceret vis doloris. Sed subito terra concutitur et cunctis videntibus virgo illesa egreditur. Tunc v. milia virorum crediderunt et pro nomine Christi capitalem sententiam acceperunt. Prefectus autem timens ne alii converterentur citius beatam margaretam decollari precepit. Illa autem impetrato spacio orandi pro se et persecutoribus suis nec non et pro memoriam agentibus et se invocantibus devote oravit. Addens ut quecumque in partu periclitans se invocaret illesam prolem emitteret. Facta est vox de celo quod in suis se noverit peticionibus exauditam. Surgensque ab oratione dixit spiculatori. Frater tolle gladium tuum et percute me. Qui percutiens caput eius uno ictu abstulit.

et sic martyrii coronam suscepit. Passa est xii. Kal. iulii. ut in eius hystoria invenitur: alibi legitur quod iii idus iulii.
De hac virgine quidam sanctus sic dicit. Sancta margareta fuit timoris dei plena iusticia praedita religione operta compunctione perfusa honestate laudabilis. patientia singularis. nihil quod mereretur contrarium christiane religionis inveniebatur: odiosa patri suo dilecta domino ihesu christo.

De sancto alexio

Alexius fuit filius eufemiani nobilissimi romani et in aula imperatoris primi. cui tria milia puerorum assistebant qui zonis aureis cingebantur et vestimentis sericis induebantur: Erat autem praedictus eufemianus valde misericors et singulis diebus in domo sua tres mense pauperibus orphanis. peregrinis et viduis parabantur. Quibus strenue serviebat. et hora nona ipse cum viris religiosis cibum in timore domini capiebat. cuius uxor nomine aglaes eiusdem propositi ac religionis erat. Cum autem filium non haberet ad preces eorum suas contulit eis dominus filium post quem ipsi deinceps in castitate vivere firmaverunt. Traditus igitur puer liberalibus disciplinis. cum omnibus philosophie artibus ipse floreret et iam ad pubertatis etatem venisset puella sibi de domo imperiali eligitur et sibi in coniugem copulatur. Venit igitur nox in qua cum sponsa suscepit secreta silentia. Tunc sanctus iuvenis sponsam suam cepit in dei timore instruere ac ipsam ad virginitatis provocare pudorem. Deinde anulum suum aureum et caput balthei quo cingebatur sibi servanda tradidit dicens. Suscipe hec et serva donec deo placuerit et deus sit inter nos. Post hec de rebus suis accipiens ad mare descendit. Occulteque ascendens navem laodiceam usque devenit inde perrexit in edissam civitatem syrie ubi ymago domini nostri ihesu christi sine humano opere facta in syndone habebatur. Quo perveniens omnia que secum detulerat pauperibus distribuit et vestimenta alia induens cum ceteris pauperibus in atrio dei genitricis marie sedere cepit. De elemosinis quantum sibi sufficere poterat retinebat. cetera vero aliis pauperibus erogabat. At pater de recessu filii multum ingemuit et per universas mundi partes pueros suos misit qui eum inquirerent diligenter. Quorum dum aliqui ad civitatem edissam venissent ab eo cogniti sunt. ipsi vero eum minime cognoscentes eidem cum ceteris pauperibus elemosinas tribuerunt. Quos ille accipiens deo gratias egit dicens. Gratias tibi ago domine quia a servis meis elemosinam recipere me fecisti. Regressi pueri patri nunciaverunt quod nusquam valeat reperiri. Mater igitur sua a die recessus saccum in pavimentum cubili stravit ubi eiulans lamentabiles voces dabat dicens. Hic semper in luctu manebo donec filium meum recuperavero. Sponsa vero ad socrum suam dixit. Donec audiam de sponso meo dulcissimo instar turturis solitaria manebo tecum. Cum igitur alexius in praedicto atrio decem et septem annis in dei servicio permansisset. ymago tandem beate virginis que ibi erat custodi ecclesie dixit. Fac introire hominem dei quia dignus est regno celorum et spiritus dei requiescit super eum. Nam oratio eius sicut incensum in conspectu dei ascendit. Cum autem custos de quo diceret ignoraret iterum dixit ei. Ille qui sedet foris in atrio ipse est. Tunc custos festinus exiit et ipsum in ecclesiam introduxit. Quod dum cunctis innotesceret et ab hominibus venerari cepisset humanam gloriam fugiens inde recessit et laodiceam veniens